



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Cap. XIX. Ad cap. 24.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

omnes deliquissent, jus eligendi devolutum fuisset ad Pontificem, tanquam proximè superiorem.

CAP. XIX.

Ad cap. 24.

S U M M A R I A.

- | | |
|-----------------------------------|-------------------------------|
| 1. <i>Species facti.</i> | 4. <i>Ecclesia S. Agathæ.</i> |
| 2. <i>Ecclesia S. Salvatoris.</i> | 5. <i>Oeconomus, quid.</i> |
| 3. <i>Cardinalis S. Susannæ.</i> | |

*Species
facti.*

*Ecclesia S.
Salvatoris.*

*Cardinalis
S. Susannæ.*

*Ecclesia S.
Agathæ.
Oeconomus,
quid.*

Quod Cardinales præter proprios titulos etiam alias possint Ecclesias commendæ nomine gubernare, docet Panormitanus ad hoc cap. In quo proponitur G. tituli S. Vitalis (qui & Vestinæ, sed & S. Gervasii, & S. Protasii titulus appellatur) Presbyter Cardinalis, per oeconomum Ecclesiæ S. Agathæ, cuius administrator erat, iudicio possessorio egisse contra P. Presbyterum Ecclesiæ S. Salvatoris, super Ecclesia ipsâ, quam pleno jure contendebat ad Ecclesiam S. Agathæ pertinere, tam in spiritualibus, quàm temporalibus: sed & pensionem annuam sexdecim denariorum Papiensium subtractam Ecclesiæ S. Agathæ petiit restitui. Contra excipiebat P. presbyter se ad Ecclesiam S. Salvatoris per electionem plebis à Cardinali S. Susannæ, ad quem Ecclesia pertineret, canonicè esse constitutum: Ecclesiam autem S. Salvatoris nullam debere pensionem Ecclesiæ S. Agathæ. Pontifex causâ cognitâ absolvit Presbyterum à petitione Oeconomi quantum ad electionem & institutionem. Non item de pensione annua sex denariorum, quia per multa tempora fuisset persoluta, salvâ, in utroque casu, proprietatis quæstione. Hæc est facti species. Ecclesia S. Agathæ est una ex octodecim, quæ assignatæ Diaconis Cardinalibus, eam administrabat G. Presbyter Cardinalis tituli S. Vitalis, per oeconomum. Oeconomus vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractat. *Conc. Tolet. cap. 43. l. 3. in f. C. T. de his qui ad Eccles.* ubi ita definiuntur, qui Ecclesiasticas consueverunt tractare rationes, qui τῶν Ἐκκλησιαστικῶν κτημάτων οἰκονομοῦν subibant, de quibus est & Gangrensis concilii c. 7. 8. Et sunt canones.

mones Chalcedonenses 2. 25. 26. Vide Cujac. ad Nov. 3. Jacob. Godof. C. T. de bon. cler. tom. 1. fol. 498. Barbof. ad l. omnes 33. C. de Epif. & Cler. §. hoc nihilominus. Is constituendus erat ex proprio clero *can. 26. Concilii Chalcedonensis.*

Finis Eclogæ III.

Amœnitatum Juris Canonici

ECLOGA QUARTA.

CAPUT PRIMUM

Ad inscriptionem cap. 26. de Elect. & Ele. pot.

SUMMARI A.

- | | |
|--------------------------|---------------|
| 1. Emendatur inscriptio. | 4. Mascaron. |
| 2. Cistercienses. | |
| 3. Species facti. | 5. Raymundus. |

Inscriptio apud Gregorium nonum ita habet: Abbati Cisterciensi R. & P. Monachis Fontis frigidi. Addendum: *Monachi inscriptio. chis Fontis frigidi Cisterciensis ordinis, Apostolica sedis Legatis.*

Cisterciensis ordo, de quo supra quoque Ecloga 2. c. 9. regulam Cisterciensis. Benedicti sequitur, sed liberius mutatis cum habitu observationibus quibusdam. Primitus nigris utebantur vestibus, quas B. Martinum & antiquos in Galliâ induisse ex Petro Cluniacensi videre est *lib. 4. Epist. 17.* Canonici verò omnes, qui sub B. Augustini regulâ vivebant, Albis incedebant. Hinc Monachi alii nigri, alii albi. Nigri antiquum nomen retinentes regulam S. Benedicti strictè servarunt. Secus atque Cistercienses. Jacob. de Vitriaco *c. 13. hist. occid.* Cum igitur, ait, à priscis temporibus, in partibus occidentis due tantum fuissent Regularium Diversitates; Monachi scilicet nigri, S. Benedicti regulam profitentes, & Canonici albi, secundum regulam B. Augustini viventes, postquam peccatis exigentibus,